Diſputatio Medica Inauguralis, *De* VERTIGINE ejuſque CVRATIONE

Quam

Divini Numinis Auſpicio

Authoritate & Decreto

Venerandi & Ampliſsimi Collegij Medicorum

SUB PRÆSIDIO

Dn. MATTHÆI MüLLERI DOCTORIS MEDICINÆ, IN ILLVSTRI ACADEMIA TVBINGENSI, PROFESSORIS ORDINARII CLARISSIMI, PRÆCEPTORIS & Patroni ſui æternùm colendi.

Pro ſummis in Medica facultate honoribus & privilegijs Doctoralibus conſequendis, publico & placido examini committit

Iohann Reinhardus Ritter / Halâ Suevus.

Ad diem Septemb. horis locoq; conſuetis.

: (o) :

TUBINGÆ,

Typis Theodorici VVerlini, Typoſ.

ANNO M. DC. XXIII.



Disputatio De VERTIGINE ejusqúe CURATIONE.

PRÆFATIO.

ARcem Palladis, sacrum sacrę animæ templum *turbari, liquidò nobis, ex plurimis periculosissimis rationibus, de infimo ad supremum ventrem prodeuntib. ex sequentibus patebit. Hinc in minore mundo* Vertigines *functiones animales impedientes suboriri solent, quarum circumgyrationibus patientes gravissimè conflictari videmus. Ne verò columnis ruentibus basis totius ædificij collidatur, operæpretium me facturum existimo, secundum artem* Asclepiadeam *huius* Symptomatis *Nomen, definitionem, subiectum, differentias, causas*

& signa, denique etiam curationis Methodum levi saltem penicillo adumbrare, adumbrata sub placidæ disputationis incudem revocare. Quapropter hîc loci, Christo Auspice, *sigillatim de singulis hisce partibus tradendum, tractandumq́; Age ergò iaciamus aleam; faciam periculum*—————

Quid nostri valeant humeri, quid ferre recusent.



Σὺν Θεῷ.

THESIS I.

Nomen. VErtigo à vertendo *Latinis* nominatur, quod in gyrum omnia videantur verti. *Græcis* δῖνος, *Gal.* 4. *de victus rat.* ἴλιγγος, *aph.* 17. 23. *&* 31. *lib.* 3. *Germ.* Der Schwindel / Vmbtrumblung.

II. Sumitur hoc vocabulum à *Medicis* interdum vel generaliter seu impropriè, vel in specie & propriè. In generaliori significatione offert se *Gal. lib.* 3. *de locis aff. c.* 8. Alij illud pro uno & eodem affectu habentes, quorum *Fuchs. lib.* 1. *Meth. c.* 19. Alij denique dicentes, diversos affectus quidem esse, re ipsâ & nomine, magnam tamen cognationem inter se habere. *Et Gal. lib.* 2. *Meth. c.* ait, quod morbis nomina imponantur, interdum à Symptomatibus, etiam interdum alio modo.

Vt

Vt autem res sunt, ita quoque definiuntur, ut habet *Philosophus.*

III. Nos verò hanc definitionem dicimus; Vertiginem esse actionem in Cerebro corruptam, à spirituum animalium affectione morbida introductam, phantasiam visionem inordinato motu lædentem. *Vel annotante Foresto*; Est affectus cum caput tantum videatur circumferri, estque imaginatio quædam, ut omnia exteriora circumagi videantur sine tenebricositate. *Definitio.*

IV. Posita definitione colligitur, Vertiginem Symptoma esse in genere noxæ functionis tum imaginativæ depravatæ, tum visionis depravatæ.

V. Symptoma hoc in ventriculis cerebri residere, illîc p. n. spiritus moveri & circumagi, tandem inordinato motu, tum spirituum tum humorum spiritus visibiles impediri, ex quibus sanè colligendum, ipsum subjectum in parte anteriori Cerebri residere; Aliquo etiam modo pro subjecto habentur ipsi Oculi. *Ratio eruenda ex Gal. c. 8. lib. 3. de loc. aff.* *Subjectum.*

VI. Differentia eius sumitur, vel à *forma*; vel *ratione causæ efficientis.* *Differentia.*

VII. A forma; consistit primò in *læsa imaginatione*; secundò *visione*, tertiò in *motu voluntario.* *A forma.*

VIII. Prima species est *læsa imaginatio*, quæ introducitur vel ad caput, vel ad oculos. Illa, spirituum animalium p. n. circummotio. Hæc, externarum rerum circumactio.

IX. Altera species est *visio*; Hæc pro causarum varietate vel magis, vel minus depravatur.

X. Aufertur, ut in σκότωμα, tenebricosa Vertigine, prout spiritus animales imbecilliores p. n. ab irruentibus exhalationibus noxijs rotantur, ubi non solùm ima-

ginativa aberrat, verum etiam visiva functio abolita est, ita ut sensus visus pereat, adeò omni cognitione privetur. Vel *non aufertur*, si transitus tantùm spirituum animalium ad oculos prohibeatur, unde fieri solet imaginatio & visio depravata, ob inordinatum spirituum motum, quod vitium, prout nunc maius, nunc minus totum reliquum corpus in consensum trahit.

XI. Tertium ordinem harum specierum servat voluntarius motus, quanquam ille sit liber, tamen non absolutè, sed corporis affectibus subditus, quapropter interdum liberè moveri non potest, sed aliter movetur, quam naturaliter debeat moveri, qua ratione nunc elevatur nunc deprimitur secundum *Magis* & *Minus*, cuius causa proxima imbecillitas facultatis motricis, ut ob agitationem spiritus animalis, vel ob nervorum intemperiem præcipuè frigidam.

A causa efficiente. XII. Secunda divisio ipsarum differentiarum sese exhibebit, *causam efficientem* considerando, illam spiritum animalem p. n. movere, vel *læsa facultate*, vel *ob errorem externum*.

XIII. *Læsa facultas* aut labefactatur aut impeditur.

XIV. Priore modo, intemperiem inæqualem calidam, frig. hum. sicc. labefactando; qua de causa, labefactatis his qualitatibus, proinde dolores suboriri, & inde spiritus commoveri solent.

XV. Calori quidem sunt vehementissimi dolores, sed breviores: Frigori minus subiti & diuturniores: Ad tertiam & quartam qualitatem *Gal. dicit, c. 5. lib. 1. de sympt. causis:* Siccitatem multoque minus Humiditatem dolorem non posse inducere, nisi calori aut frigori coniungantur, raró etiam humiditas sine copia aut humore partem corporis distendit.

16. Po-

XVI. Posteriore; impeditur læsa facultas ob *Compressionem vel Obstructionem.*

XVII. *Compressio* fit, tum à causa *Externa* tum *Interna. Externâ*; ut fracto cranio, ictu, contusione vt casu, vinculis arctius capiti iniectis. *Internâ*; tumore quocunque p. n. nervis cerebri incumbente. *Obstructio* verò accidit à vaporis & humoris peccantis specie, vitio & causa generante.

XVIII. Denique p. n. spiritum animalem movere dicimus, propter qualitatem dolorificam ab errore externo inductam. De quibus mox uberius in causarum enumeratione videre est, tempestivum iam erit sermonem ad eas transferre.

XIX. *Aër* oculo tale instrumentum, quale nervus cerebro *de placid. Hipp. & Plat. lib.* 7. Naturalem verò qualitatem visionis depravari, ex constitutione tàm calida quàm humida sive Austrina, constat. Hinc *venerandus senex Hipp. lib. de flatibus* monet: Aër conturbatus sanguinem turbat ac conspurcat, quæ constitutio non solùm auditum hebetat, caput gravat, verùm etiam Vertiginem oculis infert, *juxta aph.* 17. *lib.* 3. *Causa Externa.*

Nec despiciendæ vigiliæ nimiæ, somnus multus, cruditates ex cibo inordinato frequentes, crapulæ, motus & balnea mox à cibo, usus aquarum aluminosarum, nitrosarum, cibi & potus immoderata quantitas & qualitas, fames diuturna, immodica corporis exercitatio, pathemata tum corporis tum animi vehementiora, ira nim. mœrores, timores, curæ, excreta longiore tempore retenta, inprimis consuetæ evacuationes naturales & artificiales intermissæ, similiter incommodare dicimus.

Huc referri etiam possunt, omnis generis venena & quædam medicamenta quæ non ritè præparata vertiginem inducunt.

Causa Interna. XX. Ad *causam Internam continentem seu proximam* proximam pertinet flatuosus ille spiritus, quatenus inordinato motu spiritum animalem movet, qui in cerebri cavitatibus continetur, præcipuè in magnis illius sinibus & arterijs, qui ex gravitate capitis, eius dolore, aliorumque sensuum oblæsione cognoscitur. Si vitium repentè aut brevi tempore invaserit, obstructio est ex humoris affluxu, sin pedetentim multòque tempore, aut intemperies aut adstrictio in causa erit.

XXI. *Quercetanus in tetrade cap.* 11. proximam causam vertiginis residere & exhalare ait, ex resinosis tartareisque sulphureis contentis, tincturam nigræ fuliginis continentes sine acrimonia: propterea quod nullam salium naturam possideant, id ea ratione fieri demonstrat, quia Vertigo nullos dolores inferre videtur, ut fieri soleat in cephalgeis, hemicraneis, delirijs & ardentibus febribus, ob fumos ex salibus vehementissimè prodeuntes.

Signa. XXII. Tanta *Signorum* necessitas, ut illis sublatis, medicinæ fundamenta corruant, desumuntur autem illa hoc in loco secundum *formam*, quæ fiunt per ἰδιοπάθειαν, cum primariò cerebrum afficitur. Alia secundariò per consensum sive συμπάθειαν ventriculi, uteri, alijsque inferioribus corporis humani partibus, ægrâ quâdam qualitate infectis, proveniunt. *Gal. lib.* 3. *de loc. affect. cap.* 8.

XXIII. Per ἰδιοπάθειαν, quando tota corporis constitutio sana, caput autem natura debile, ut ex morbo prægresso gravior hemicrania, febribus continuis, lu venerea, aut alio modo debilitatum fuerit.

XXIV. *Alterum Signum*, si per consensum ventriculi nim. ex bile, pituita sola vt alijs humoribus mixti

mo

morſum ventriculi, ſyncopen, eroſionem, nauſeam & ſingultum excitare conſuevit.

XXV. *Tertium Signum* è regione matricis ſumptum, ceſſantibus aut ſuppreſſis præter conſuetudinem menſibus illud cognoſcitur, quibus adeſt pulſus velox, urina colorata & pauca, macies habitus bilioſus, &c. hæc intemperiem calidam arguunt. Si frigida fuerit, aderit prædictis contrarium, præterea menſtrua erunt alba & aliquando nigra, in præſentia erit gravitas & cruditas ventriculi, cum ſputi magna copia, interdum etiam alvi excrementum cum pituitoſis excrementis reijciuntur.

XXVI. *Signa diagnoſtica*, quibus hîc affectus demonſtratur, facillima ſunt, quippe laborantes omnia vident circumvolvi, ſi ſola vertigine corripiantur. *Signa Diagnoſtica.*

Verùm ſi affectio oculos etiam oblædat, accedit inſuper tenebroſitas: ſicuti dum motivi ſpiritus etiam oblæduntur, titubatio, inconſtantia & graduum claudicatio ſubituſque caſus accedunt: Rubor faciei, pulſus arteriarum temporalium, quarum ſitus retrò aures reperiuntur, apparet, adeſt præterea gravitas capitis, ſplendidia oculis inter multas tenebras ſeſe offerunt, & ſi à ſanguine vapor eſt. Tempore ſomni à bilis ſucco, æger ſe volare putat, nec non vigilijs torquetur; Pituitam ſequitur pigritia, ſomnolentia; Melancholiam gravitas corporis, ſomnia timidiora, cogitationum corruptio. Hiſce ſimplicibus fiunt inter ſe miſcendo compoſita. Nunc breviter de *ſignis prognoſticis* tranſigendum.

XXVII. Quævis Vertigo proxima eſt Epilepſiæ & Apoplexiæ, teſte *Gal. comm. aph.* 7. *lib.* 3. & 4. *de victus rat.* Auſtrinæ conſtitutiones Vertigines faciunt, eaque ſenibus facilè accidit 7. & 31. *aph. ſect.* 3. *Signa Prognoſtica.*

XXVIII. *Signa prognostica*, alia sunt *salubria*, alia *insalubria*; alia *neutra*.

XXIX. Si dolor capitis vertiginem succedat, bonum: Si morbus ex Compressione, vertigo admodum periculosa: Si intemperies inæqualis non admodum periculosa: Si Morbus obstructionis prognosticandum an sit secundum Magis & Minus vehemens: Si vapor sanguineus, minatur delirium: Si pituitosus Apoplexiam: Si melancholicus minatur Epilepsiam. Periculosa Vertigo est, si capitis magna adsit repletio, quæ cum ægrè auferri possit in carum & Apoplexiam interdum desinit. Quicunque sano corpore purgantur, non solùm Vertigines, verùm etiam tormina patiuntur, cum his purgatio difficulter procedit. *Gal. comm. aph.* 37. *lib.* 2.

Curatio. XXX. Tantùm curando deficimus, quantùm cognoscendo aberramus, & curationis initium esse cognitionem morborum, quæ cognitio pro varietate causarum dignoscenda venit, ut *Gal. passim lib.* 1. & 2. *Meth.* docet. Idcircò prius causa morbi tollenda, quâ sublatâ morbus ipse tollitur. Morbi enim nunquam deleri possunt manentibus causis.

XXXI. *In curando* verò hoc Symptomate eò respiciendum, ut vitiosa qualitas alteretur; *Secundò* peccans causa tàm in capite recepta, quàm recipienda derivetur, revellatur & avertatur. *Tertiò* caput & nervosum genus corroboretur & corroborando spiritus animales puriores reddantur.

XXXII. Quapropter breviter his omnibus consideraris, rectà *Curationem* accedemus, quæ ad tria præcipua Medicorum instrumenta respicit; *Diætam, Chyrurgiam* & *Pharmaciam*.

33. Cùm

XXXIII. Cùm verò *Diæta* sex rebus non naturalibus perficiatur, *Aëre* videlicet, *cibo & potu, somno & vigilia, retentione & inanitione*, denique *animi affectibus*, statim aërem aggrediendum putamus.

XXXIV. *Aër*, eligendus erit temperatus, purus & lucidus, omnibusque inquinamentis carens, vitandus nocturnus, Austrinus, ventorum flatibus agitatus, corpora nostra à statu naturali deijciens, & denique vitiosas qualitates inducens. Priorem si tempus anni aut locorum situs deneget, illum arte in ædibus procurandum esse, convenientibus nim. *suffimentis* varijs adhibitis ex lig. rad. cort. fruct. &c. alijsque simplicibus exinde compositis. Vbi tamen cavendum, ne caput fortassis nimio odore repletum, magis magisque offendamus. *Diæta.*

XXXV. Huc pertinet secundò *Cibus*. Tali verò in casu probantur cibi εὔχυμοι & εὔπεπτοι, qui temperata qualitate præditi sunt, facilè concoquuntur, nullamque pravam qualitatem nec ad Caput, neque ad alias corporis partes introducunt. *Caro* eligatur vitulina, vervecina, agnina, gallinarum, pisces saxatiles, pruna Damascena cum passul. minoribus. *Ex oleribus* spinachia, acetosa, beta & similia, quibus vis facilis concoctionis & modicè humectantis inest. *Ex fructibus* potissimum laudantur nuces pineæ & pistacia, quippe cerebrum admodum corroborare creduntur. Reliqui *fructus* horarij omnes damnentur. *Cibus.*

XXXVI. Qua ratione meritò *Intemperantia* dissuadenda, quæ aliâs malorum genitrix, Medicorum nutrix rectissimè dicitur. Inprimis verò non negligenda, quæ concoctionem ventriculi juvant, crudas evaporationes impediunt, quo fine *pulverem* talem *pepticum* post pastum ponimus: ℞. pul. pan. alb. tost. ℥ß. Co-

riand. præp. rof. rub. an. ℥ß. Maftych. Corall. rub. præp. Cinam. Nuc. mufc. an. ʒj. Sacc. ℥ijß. *F. pul.* cum pane tofto, in vino humectatur, *quantit.* ʒj. *fumatur.* Nec diffimili modo hâc *Trageâ* ad promovendam concoctionem, corroborationem Capitis & gignendos fpiritus in vino utatur: ℞. Man. Chrifti perlat. fantalat. an. ℥j. Sacch. rof. tab. ℥ij. Carn. Cydon. ut teri poffit ʒjß. Sem. Coriand. anif. fœnic. liquirit. an. ʒß. Santal. alb. Citrin. an ℈ij. Agollach ℈j. Corall. utriufque. Marg. an. ℈ß. Cinam. ʒjß. *Mifce.* Vel ante cibum hos *morfulos* fumat: ℞. amygd. rec. excort. pinear. præp. an. ʒvj. *Fiat Emufio* cum aq. beton. q. f. huius ℞. q. f. ad diffol. fpec. aromat. rof. Diamofch dul. an. ʒj. Diacinam. diagal. diarrhod. abb. an. ℈ij. Zinzib. albifs. ʒj. Carioph. Mac. calam arom. nuc. mufc. Cubeb. an. ℈ij. lig. aloës trit. in pul. ʒß. Cinam. elect. ℈iiij. Gran. paradyf. ℈ij. Cum facch. albifs. q. f. arom. craffiul. incifis *f. conf. in Morful. dofis morf. j.* interdum plus vel minus pro fumentis natura, aut per fe, aut cum liquore corroborante fumendo. Eft & fequens victus ratio concedenda; quæ facilis eft concoctionis beneque nutriens, (potifs. debiles vires & confumptionem totius corporis confiderando) nim. *fuccus carnium ex capone* cum aq. rofar. pauco Cinam. & Macc confectus: brodium etiam carnis cum ovis diffolutis admittendum.

Poft cibum hoc *Electuarium* exhibendum, quod exhalationes in caput afcendentes impediat, concoctionem promoveat: ℞. Conferv. rofar. antiq. ℥jß. Diacyd. fimpl. ʒß. fpr. vitriol. gutt. 7. Syr. de menth. quantum f. *F. Elect. molle*, de quo quantitas nucis iugl. poft cibum fumatur.

Potus. XXXVII. Quanquam *Capivaccius* ufum vini diffua-

dissuadeat, attamen illud moderata quantitate & qualitate sumptum, minimè nocere ægris statuimus, potissimum verò ubi vinum non admodum generosum, quod vi penetrandi nervoso generi, capitique inimicum redditur, circa cerebrum eiusque membranas inflammationes producens, nec austerum crudumque, quod excrementitias tartareas materias circa viscera concoctionum non parum augeat, quapropter vina crassa quæ sunt & nigra non possunt esse utilia, utpote quæ non sunt concoctu facilia & moram multam inventriculo faciunt. Sed *vinum* præbeatur ὀλιγόφορον & *tenue*, quod cruditate sua ventriculo non noceat, nec nimia caliditate caput repleat, quale Neccarinum, Moscatelli saporem referens, præsens etiam vinum haud incommodè per infusionem herb. Melifs. rorifm. card. benedict. salv. flor. borrag. buglofs. & similibus condiri potest.

Denique pro potu etiam absente vino *Cervisiæ* usus exhibendus, sed hac cautione, ne valdè cervisia lupulis aucta propinetur, lupulos enim caput replere in Medicorum lucubrationibus legitur. Sit verò parcior eius usus, cùm promptè etiam flatus generet, qua de causa, prospiciendum, ut probè cocta & defœcata fiet.

XXXVIII. *Exercitia corporis* non omittenda, sed moderata & levia ineunda, sunt enim hæc sanitati tuendæ accommodatissima. Hinc *Hipp. 2. aph. 51.* Omne nimium & repentinum naturæ inimicum, quod verò paulatim fit, tutum maximè, cum ab altero in alterum fit transitus; Mediocritas igitur observanda, vult & ille versus: *Motus & Quies.*

Sit modus in rebus, sint certi denique fines.

Et ut *Hipp.* habet: Sanitatis studium est non satiari cibis, & impigrum esse ad labores.

Qua ratione modica, matutinaque ambulatio laboranti necessaria, ut dein naturalis calor exuscitetur.

At circulari & vehementi commotione suscepta, corpus extenuatur, spiritus visibiles dissipantur, meritò igitur illi motus hoc in casu vitandi. Nec *Quies* prætereunda, est enim nimia inimica, corruptionis putredinisque autor. Quò etiam corpora sunt rariora & graciliora, eò etiam temperantiora requirunt exercitia. Huc etiam referri possunt, quæ suo motu oculos & indè animales spiritus laborantium movent, ut est inspectio rotarum mobilium, fluviorum, vectio in nave, vehiculo; Equitatio, despectio ex alto, &c. hæc omnia vertiginosis vitanda.

Somnus & Vigilia.

XXXIX. *Hipp. 2. aph. sect. 2.* dicit: *Somnus & vigiliæ* utraque si immoderata existunt, malum. Somnus, verò, inprimis meridianus huius loci improbandus, propterea quod capitis imbecillitatem, aliaque incommoda inducere soleat, quatenus sc. exhalationes ad caput ascẽdentes excitat; proindè etiam brevior sit, tum etiam, quod caloris recessus ad interiora evaporationum causa existat. Decubitus nocturnus fiat dextri lateris, hac ratione primò cibus assumptus in ventriculo benè digeritur; secundò exhalationes ad caput per orificium sinistrum minus evaporant; tertiò & ultimò absoluta chylificatione nutrimentum sat à natura elaboratum in universum corpus distribuitur. Econtrà *Vigiliarum* excessum totum corpus exsiccare, bilem augere, caput replere, spiritus movere, exsiccando tabem progenerare, & per consequens exsiccato & assumpto calore nativo intemperiem frigidam in toto abundantem introduci, constat.

Excreta & Retenta.

XL. Nec negligenda *Excreta* & *Retenta*, ita ut hæc iusta quantitate & qualitate excernantur procurandum.

In-

Inprimis verò capitis excrementum per nares, aures, palatium promoveatur, & pori capitis aperti retineantur, huic usui inserviunt, matutinæ capitis frictiones & pectinationes; debita item lixivia.

XLI. Si humores & *Excreta* quantitate peccent, & in motu sint, revellantur, evacuentur, *venæsectione, purgatione, clysteribus* & *glandibus*. *Si qualitate*, alterentur, incrassentur. *Excreta* enim nisi debito tempore evacuentur coctionem impediũt, dum ab ijs vapores putridi ad ventriculum & vicinas partes exhalent. Naturales excretiones iuvant vel mitiores evacuationes, vel diæta antea posita. Quo ad evacuationem tantum hîc volo meminisse. *Glandes* confici possunt ex hiera, agarico, sale gemm. & despumato melle; Præstò etiam esse possunt *Clysteres* ex furfuris, mercurial. malv. betæ, flor. Chamæm. & salis decocto, in quo ℥iij. Ol. amygd. dul. communis aut aneth. ℥ij. mell. rosat. ʒi. hier. pic. *Gal.* adijcias. Nunc ordinis ratio locusque postulat, ut sextam naturalium rerum partem investigemus.

XLII. Restant ultimò *Animi pathemata*, *iram* potiss. *timorem* & *mæstitiam* in præservando hoc Symptomate respicientia. *Ira* cum sit efferve scentia sanguinis circa cor, exuscitatione bilis tenuissimæ proveniens: citò enim ob biliosi humoris levitatem ad cerebrum fertur, illudque turbat, turbando usu rationis privat *Aristol. de vit. & mort. c. 6*. Quo ad præservationem huius præsentis affectus, inflammationem, fervoremq spirituum in cerebro obortum refrigerandum humectandum esse convenit. Sed cavendum ne nimium refrigerando duo animi pathemata *timor* videlicet & *mæstitia* graviora reddantur, ex melancholico succo aliâs ortum suum trahentia. Explicatis rerum non naturalium partibus, nunc ad *Chyrurgiam*. *Affectus animi.*

43. *Chy-*

Chyrurgia. XLIII. *Chyrurgica præsidia* sunt hîc varia, potissimum verò *Phlebotomiam, cucurbitulas, frictiones, cauteria,* respicientia.

XLIV. *Phlebotomia*, in detrahendo sanguine locum habet, cum fomes mali præcipuè in eius materia hæreat, & in eo exhalatio vaporosa tum spirituosa luxurare videatur. Præmisso siquidem aliquo leniente medicamento aut Clystere, *vena brachij humeraria* aperienda, facta simùl hac cautione, quod rectè *Altimarus post Damascenum lib.* 3. *c.* 13. *de cura Vertiginis* monet, dicendo: Ne confertim & ἀθρόως fiat evacuatio, sed minori copiâ & partitis vicibus vitæ thesaurus educendus, ne exhausto naturali calore & spiritu, quod per pleniorem sanguinis eductionem fieri soleat, æger facilè concidat, ut dein hac ratione illa magis magisque refrigeretur. In primis verò respiciendum, ut exterius ante aggressionem huius V. S. spiritus animales balsam. succ. maioran. fœnic. rorism. &c. corroborentur. De quibus in *topicis* uberius.

Absoluta V. S. unam atque alteram *rotulam* sumendam esse convenit, quarum descriptio hæc est: ℞. Diamosch. dul. ℥j. Ol. nuc. mus. per express. ℈j. succ. alb. gutt. 3. Amb. grys. gran. 4. sacch. in aq. flor. lavend. solut. ℥iiij. *f. Conf.* in *rotul.* Si mulieribus menses suppressi fuerint, *Saphena* tundatur. Nos præcipuè in hac disp. Caput respicientes, de cæteris igitur partibus inferioribus obiter agendum duximus.

XLV. At non semper V. S. omnibus vertiginosis competere, ea propter ætatis & virium habenda est ratio, cum dein sanguinis detractione vires debiliores existant, qua ratione particulares evacuationes, quæ, ut dictum, venæsectionis convicarijs, *cucurbitulis* videlicet, *frictionibus, cauterijs*, perficiuntur.

46. Cor-

XLVI. Corpore benè prius purgato, *Cucurbitulas* cum ſacrificatione ad occipitium affigendas eſſe ſuadendum, ut hoc modo humores vel ſucci inſenſibiliter poſſint reſolvi & evacuari.

XLVII. *Cucurbitulæ cum vel ſine ſcarificatione* applicentur. Hinc inſigne remedium ponit *Felix Platerus c.7. de viſ. læſione*, in hæc verba prorumpens; *Sacrificatio* fiat in carpi regione, vel manus ea ſede externa, quæ eſt inter pollicem & indicem. In progreſſu verò *ſine ſcarificatione*; fieri ſolet, partim materiam impactam diſſolvendo, extrahendove, partim calorem nativum excitando, quo excitato, ſanguinem cum ſpiritibus ad partem affectam alliciunt, in quem finem *frictiones* tàm in parte ſana quàm ægra inſtitui poſſunt. *Frictiones* verò in pedibus, brachijs ad divertendam *à Capite* materiam fiant. Sed nota, neque *Altimarus* neque *Mercatus* ſtatim in principio cucurbitam ſcarificatam adhibent, niſi præmiſſis tàm univerſalibus quàm *topicis* medicamentis, de quibus ſpeciatim in poſtremis theſibus agitur.

XLVIII. Denique convenienti tempore, corpore ſc. prius præparato *Cauteria* in robuſtioribus adhibenda, quæ ſunt *actualia* vel *potentialia*.

XLIX. *Actuale* hoc in affectu per mediam Capipitis partem propè ſuturam coronalem introduci poteſt.

Si patiens ignem forſitàn refugiat, potiùs *potentiale* applicandum cenſebimus, quod tutius ſit, maximique momenti & utilitatis ſecum habeat; at differendum, donec altera præſidia anteceſſerint. In *potentiali* verò *cauterio* ſuccurrendum pul. canth. euph. cum aceto & cera mixto. *Locus* applicationis erit *retrò aures*.

Fonticuli etiam in brachijs facti, ad materiam deri-

vandam & evacuandam valent; Nec displiceret *setaceum* nisi tam crudele esset remedium. *Nunc ad Pharmaciam.*

Pharmacia. L. *Pharmaciam* quod attinet, & primo purgantia, cum curatio consistat in remotione causæ; humores autem duplici modo evacuantur, vel *sensibiliter* vel *insensibiliter*. *Sensibiliter*, & quidem vel *universaliter* vel *particulariter*, & si ventriculus radicem Symptomatis suppeditet, ante omnia lenem quandam evacuationem primarum viarum præmittimus; pro humorum nim. varietate ordinandam; Vt si bilis fuerit in causa instituenda lenis quædam præparatio ex oxysacch. syr. de infus. ros. succ. cich. &c. aut evacuatio per ℥ iß. *Mannæ* in brodio prunorum dissolutæ, aut paulo fortiorem potionem ad eundem prædominantem humorem ponimus: ℞. rad. Cich. ʒij. Polypod. ℈ j. fol. sen. s. stip. ʒiij. sem. fœnic. ʒj. pass. minar. ʒvj. *F. decoct.* in s. q. aq. pluvi. destill. vel seris lact. destill. ad. 3. Colentur ℥ iij. in Colatura infunde per noctem Rhab. ʒjß. Cinam. ℈ j. Manè Coletur cum expres. Colati post subsidentiam sume ℥ jß. syr. rosat. solut. ℥ j. *Misce f. haustus.*

LI. Si ex humoribus in ore ventriculi contentis, vaporosus spiritus ad cerebrum delatus Vertigines progignentur, vomitu curari possunt ex anethini & raph. decocto, in quo oxymel aut syr. acetosus sit permixtus, illud à cibo tepidè potissimum assumatur; vel *Elect. Diasaro Fernelij.*

LII. Redundante in ventriculo humore pituitoso, commendamus *Phlegmagogum*, dilutum Agarici quod ℞. Elect. Agar. ʒij. zingib. ℈ j. Crem. Tart. ℈ ß.

Macerentur in vini odoriferi ℥ ij. aq. absynth. fœn. an. ℥ j. Colentur & exprimantur. Subtile à crasso separatum cum Elect. Cariocost. ʒ j ß. misceatur *f. h.*

Nec

Nec non myrab. Chebul. decoct. & syr. ex plurimis infusionibus rof. rub. præscribendum. Denique *Passul.* in aceto coctæ, mirabiles effectus edunt, gutt. j. palato illita pro evacuatione ponimus.

LIII. Si malum ab *atra bile* dependeat, præparetur decocto ex fol. Meliss. thym. Epithy. lupul. flor. borrag. bugl. rad. Elenij, &c. Notandum igitur præparationem evacuationis prodromum esse; Hinc *Gal.* 4. *de sanit. tuend.* 5. asserit, quod crudorum difficilis ac laboriosa sit eductio, nihilque eâ notatu dignum moveri. Est & *Hipp.* eiusdem sententiæ *aph.* 2. *s.* 1. Concocta, maturaque medicari ac movere oportent, non cruda, neque per initia, nisi materia turgeat.

LIV. Prædictus succus pil. coch. cum hell. Indib. de lap. lazul. decoct. Epithym. fol. sen. rad. hell. nig. præp. cum confect. hamech. diasen. syr. de fumar Epithymo & similibus purgetur. *Purgatio* instituetur his præsentibus pil. præcipuè *Caput* respicientibus: ℞. myrabal. Ind. bellicor. an. ℥ß. Aloës, agaric. senæ, Epithym. an. ℥ß. pulp. Colocynth. anis. mastich, an. ʒß. Stöchad. Sampsucch. an. ℈j. Esulæ ℈ß. *F. Massa pil. quarum dos. ad* ʒiß. plus vel min. quantum pro dispositione subiecti laborantis fieri potest. *Hodie mirè commendantur pill. de succ. Cratonis.*

LV. *Insensibiliter* educuntur humores *per sudorifera*, proinde usus decocti rad. sarsæ parill. tanquam temperatæ radici quotidianus, vel in prandio & Cœna, vel etiam matutino & vespertino tempore, ad aliquot dies summoperè laudatur.

LVI. *Catarcticis* præmissis optimè succedunt corroborantia, quæ vires à symptomate & pharmaco amissas reparant & confirmant. Cerebro autem prima-

riò affecto, quod hac in disputatione potissimum respiciendum statuimus, quo ad ipsius intentionem Caput & nervosum genus corroborandum esse duximus, quibus commendatur conserv. beton. flor. salv. lavend. anthos, Stœchad. item spec. aromat. rosat. diagalang. dianth. diamarg. cal. & similia. Syr. quoque de beton. ex succ. card. benedict. ex scab. & qui his affines sunt. Nec sequentes etiam *Rotulæ* abijciendæ, quas *Excell. D. D. Greg. Horstius*, ante hac Præceptor meus in Illustri Giessenâ, æternùm amandus, colendus, ex *Suis* nobilissimis & saluberrimis Capitis observationibus nobis dictatis, humaniter communicare voluit, quarum descriptio ita esse habet: ℞. C. C, ust. præp. ℈j. Marg. præp. Corall. rub. præp. an. ℈ß. Sacch. albiss. ℥iiij. Ol. nuc. musc. per express. ℈ß. de succino gutt. 3. Cum aq. lavend. f. l. a. *Conf. in rotul.* Aliud *præserv.* quod *Cunrad Künrath in Medull. destill.* post se script. reliquit: ℞. sacch. albiss. ℥xii. in aq. cerass. & primul. ver. lento igne coquatur, refrigerato saccharo infundas Ol. anis. ʒj. succ. musc. fœnic. Cumin. an. gutt. 6. *Misc.* formentur *tab.* quæ *non solùm Vertigini, verùm etiam Apoplexiæ, Paralysi, &c.* optimè succurrrunt, de his manè ʒj. sumendo.

Topica. LVII. Ad *Topica præsidia* referri possunt olea sine admixtione cæterorum simplicium aut compositorum, quæ arte chymica præparata & destillata sunt, ut est Ol. caryophyll. Vertigini & visus debilitati optimè conveniens, sumptis nim. tribus aut quatuor guttis cum offa alioque liquore appropriato. Nec minori precio habetur Ol. nuc. musc. trium aut quatuor guttarum instar, cum vino Cretico aut aq. beton.

Tertium locum hîc occupare videtur ol. succ. gutt. j. cum aq. lavend. accipiendo.

58. Pos-

LVIII. Poſſunt etiam adhiberi & ſequentia *internè* vel *externè*; Vt ol. zedoar. Cinn. Galang. Citri. Magiſte. Amethiſt. Eſſent. Margar. Diamoſch. dul. Item Ol. Agar. ſpr. vitri. ſal. ſulph. Ol. Agaric. cum Elect. plyriſarc. Balſ. muſc. cariophyll. ſucc. Citri, Cardam. roſar. carui, thym. maioran. roriſm. puleg. lavend.

Priori modo à gran. ad ſcrup. cum liquore aut elect. exhibendo: *Poſteriori*, verticem capitis, mannuum ac temporum pulſus inungendo, ſed præcedentibus prius univerſalibus purgationibus.

LIX. *Ad alterum topicorum genus* pertinent medicamenta inter ſe commixta. Inde alia reſurgunt in *forma liquida* vel *ſicca*.

LX. *Liquida* ſunt olea Compoſita, Vnguenta, Embrochæ, aurium inſtillationes. *Sicca internè* vel *Externè* capiti ſubminiſtrant. *Internè* præſtò ſunt orbiculi odorati, Errhina, ſternutatoria, apophlegmatiſmi ſeu maſticatoria, iſta omnia applicare debeant, præmiſſis prius univerſalibus remedijs.

Externè ſacculi, pileoli, cucufa. Et hic nodulus ad odoratum pro capitis graviſs. Symptomatibus præcavendis ℞. herb. maior. roriſm. cum flor. Cort. Citri, an. ℥j. nuc. muſc. macis an. ʒß. Nigell. ʒiß. *Fiat pul. groſß. pro modulo ad odoratum.*

LXI. *Maſticatorium* ſequens æger maſticet, frequenter interea exſpuendo: ℞. rad. pyrethr. ſem. ſtaph. an. ʒj. Cubeb. pip. fœnic. an. ʒß Maioran. ℈j. Maſtic. ʒij. Excipiantur pulp. paſſul. addendo ſi non hæreant, parum Ceræ *ad form. paſtill.*

LXII. *Cucupha* geſtari quotidiè debet: ℞. rad. Cyper. Acori veri, Cort. Citri an. ℥j. ſem. Coriand ʒij. Myrtil. ʒj. flor. roſar. anthos an. ʒß. Cariophyll. ʒß. *F. pul. pro cuçupha.*

LXIII. Cætera superius enumerata, ex *Practicorum* lucubrationibus passim desumi poterunt. His verò breviter adumbratis, manum de tabula tollimus, idcircò nobis, hoc in loco, *rudi Minervâ*, dixisse sufficiant.

Faxit DEUS *Clementissimus*, ut hæc exercitatio Medica in *Divini Nominis gloriam*, proximi commodum, nostrique salutem plurimùm cedat, qui diu nos omnes & singulos incolumes servare velit, ardentibus precibus efflagitamus.

Jehôvæ Archiatro Opt. Max. gloria.



I.

Ad Præstantissimum & Literatissimum
Virum-juvenem,

Johann-Reinhardum Ritterum, Medicinæ Candidatum meritissimum, Amicum suum integerrimum.

SIc est: Fata viam parant, DEUS q́;
Rerum eventa manu regit benignâ!
Sic est: RITTER, Amice pot amande!
Iam Semestris, opinor, evoluta est
Tempestas, ubi concitatiore
Lapsu, sat subitam tibi struebat
Vitæ perniciem triformis illa
Parca, Sorsq́; diu parùm favissans.


ÆSCV-

ÆSCULAPIUS ast DEUS paternas
Tum curas sobolis gerens, nefandos
Ausûsq; annihilans, citò salubrem,
Expertus Medicus, tulit medelam,
Collapsumq; iterum Tibi vigorem,
Ceu postliminiò, IngenI reduxit
Ergò imbelle paras, AMICE, bellum
Nunc, cordato animo diu repostum?
Sed quo bellius esse vix queit ullum,
Et vix esse operosius qui ullum.
At præclara tibi quis Arma? Nempè
Cous ille senex in Arte Summus,
Insignisq; Galenus huic Secundus,
Et, quam clarat acumen expolitum
IngenIq;, Scientia & profunda,
Artis Pæoniæ sat ampla turba.
O factum benè, docte Candidate!
Miles quòd veteranus in palastrâ
Dudum Pæoniâ audijsti ad Ellum,
Et Giessæ, & rigui ad fluenta Nicri.
Macte Pieridum decus Dearum
RITTER: bella tibi favet Minerva,
Ac porro Pater ipse Phœbus ausis
Alumni favet hîc fidelioris.
Proin, perge opus expedire cæptum:
Sic tandem Capiti tuo coronam
Aptabit viridem favens APOLLO:
HYGEIAM & tibi FILIAM, brabéum,
Improbo emeritum diu labore,
Plaudens spontè dabit; favore cuius
Quo possis Patriam tuam juvare,
Atque ægro populo queas mederi,

Parentesq;

Parentesq́ beare curiosos.
Sic, quo bellum esse vix quit ullum,
Quod in belle paras, AMICE, *bellum:*
Sit felix tibi, sit precorq́ faustum.

Fautæ acclamationis: Amoris, & benevolentiæ ergò deproperabat
Johannes Gerhardus, cum Dogmaticæ, tum Spagyricæ Medicinæ addictus.



II.

Ad eundem.

QVid quisque vitet nunquam homini satis
Cautum est: in horas mors manet usque nos,
Et semper improvisa lethi
Vis rapuit rapietque multos.
Tu verò nuper, RITTER amabilis,
Erepte mortis faucibus optimi
Et maximi dextrâ Jehôvæ,
Ancipitem dubiamque sortem
Belli experiri non dubitas tamen?
Luctaris in certamine Pallados,
RITTER, Jehovæ Præsidisque
Auxilio clypeoque nixus.
Assurge tantùm, pectore & arduo
Resiste nunc insultibus hostium,
Resiste, RITTER. Sed quod omen
Præmeditor? Referes trophæum.
Nam seu retundas spicula robore,
Sive arte, vinces. Mox tamen & dabit
Victore tali Apollo dignos,
Hisque tuis animis honores.

Ioh. Sebastianus Bloß.

FINIS.